



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 41. Imperator Romæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

§. XLI.

Imperator Romæ.

Sæcul. XII.
A.C. 1117.

Adfuit, ut promiserat, Imperator Romæ anno sequente millesimo centesimo decimo septimo, cum exercitu. At Papa, non exspectato ejus adventu, ad Monasterium Montis Cassini divertit, ubi a tota Congregatione rogatus Landulphum Archiepiscopum Beneventanum, in Concilio Ceperanensi depositum, restituit. Tumque Capuam, & inde Beneventum pervenit. Interea Imperator Romam intrat, & Consules, Senatores, & Proceres tum largitionibus tum promissis in suas partes trahit. Bertham filiam suam Ptolomæo factionis Pontifici adversantis Capiti, Ptolomæi Consulis de gente Octavianorum filio, connubio junxit, magna dona addidit, & jus possidendi omnes ditiones, quas avus ejus Gregorius ceterique majores tenuerant, confirmavit. Illo etiam anno millesimo centesimo decimo septimo Imperator solenne Festum Paschæ, in diem vigesimam quintam Martii incidens, Romæ celebravit, ad Basilicam S. Petri se contulit & a Clericis Romanis coronam petiit, dicens, venisse se, ut eam de manibus Papæ acciperet, cujus absentia luctuosum magis nihil sibi potuisset accidere, concordiam reducere unice cupienti.

c. 61.

Sup. §. 26.

Petr. Pisan.

Z 3 pienti.

Sæcul. XII. A.C. 1117. pianti. Clerici Romani responderunt; verba hæc a factis loquentis discrepare, cum armatus adesset, & suburbia agrosque Romanorum, hostium more, pessumdaret, ac Abbatem Farfensem & Ptolomæum excommunicatos suo præsidio muniret.

Clericis ergo repugnantibus, Imperator ad Mauritium Burdinum Archiepiscopum Bracarensem, qui apud ipsum ut Legatus Papæ ad conciliandam pacem aderat, conversus, ab eo in Ecclesia S. Petri ante corpus S. Gregorii Coronam Cæsaream accipit. (*) Tum Papa & Imperator legatos in quemdam locum miserunt, qui de pace agerent, sed nullo effectu, & Imperator malignum aërem & æstus timens Urbe excessit, promittens se rediturum esse, ubi tempestas calida refrigesceret. Ptolomæo tamen partem militum Germanorum tradidit, qui Normannos a Papa in auxilium vocatos repulerunt. Inter hæc Paschalis Papa Synodo Beneventi, mense Aprili, celebrata, Archiepiscopum Bracarensem, quod Imperatorem coronasset, excommunicavit.

§. XLII.

(*) Alibi notavimus, Reges, in præcipuis Festis ad Officium Divinum procedentes, coronam de manu Episcopi accipere solitos fuisse; quæ Cæremonia a prima inauguratione longe diversa erat.